Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1283

Quelle:
Copyright:

epiſtola prefato Domino Herbipol. ſtatim poſt priorem directa occaſione debellacionis hoſtium ſuorum. Poſt prolixe repetitum prioris argumentum ita proſequitur: *Hinc eſt, quod Deus mirabilia, que operatus eſt vobiscum, approbauit et firmauit per mirabiliora, que operatus eſt Rome cum Domino noſtro papa* (Bonifacio IX) *proxima feria quinta poſt diem victorie veſtre, heri enim habui certiſſima noua de curia romana, quod XIIII die Januarii poſt medium noctis hoſtes domini noſtri pape* (Nicolaus de Columna) *videlicet expulſi Romani, qui magnam adheſionem populi habebant in vrbe Romana, eandem urbem in maxima multitudine iuxta extimacionem Mille armatorum equeſtrium traditorie intrauerunt, et ſubito vi ceperunt forum ſiue plateam capitolij et potenter tenuerunt usque poſt ſolis ortum ſequentis diei vociferantes terribiliter, moriatur papa et viuat populus Romanus, expectantes ſibi creſcere populum in urbe eis partialem. Sed gentes Domini noſtri pape hoc preuenerunt et ſe armauerunt ac eosdem hoſtes uiriliter inuaſerunt, quos tandem Dei nutu ruperunt, vicerunt, ac quam plures ex eis occiderunt, alios captiuarunt. Alji uero ex hoſtibus terga vertentes extrorſum fugierunt per portas, vnde intrarant, eadem hora fuerunt ſuſpenſi ex captiuis Romanis XXVIIII. Triceſimus ex eis fuit ſuſpenſor ipſorum, qui ut dicitur coactus fuit ſuſpendere inter ceteros carnalem fratrem et patruum ac plures alios de linea ſui generis, ut ſic vitam redimeret. Hec facta fuerunt feria quinta XV. die Januarij de mane. Sequenti die receſſit de urbe is, qui retulit mihi hec omnia, et dicit, quod et alij quinquaginta Romani, qui eadem die belli ſimiliter erant captiuati, debebant, vt dicebatur, ſimiliter decapitari et maxima ulcio fieri. Utinam deus conceſſerit eis veram contricionem* &c. Rem narrat eodem paene modo *Theodoricus de Niem* L. II. *de Schism.* c. 27. niſi, quod *diem* tacet, et *fratri* ac *patruo* ſubſtituit *patrem* et *fratrem*, captivosque numerat XXXI. Subſcriptio hujus epiſtolae eadem, ſed *in Craſtino purificationis beate virginis.*

XXX. *fol.* 239. p. 2. *Geraldi de Podio falconis* et aliorum Palatii Apoſtolici Auditorum, dictorum de *Rota* Literae ad *Carolum* IV. excuſatoriae, quod *Vlricum Dybiſſch de Rytſchano* Capellanum ejus in conſequendo Canonicatu et Praebenda eccleſiae ſancti *Johannis in Haig* (Haugis) extra muros *Herbipolen.* non poſſint praeferre Competitori *Henrico* dicto *Ever de Wertheim* pauperi clerico *Herbip.* Dioec. Initium: *Sereniſſimo principi et illuſtriſſimo Domino Domino Karolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto Domino ſuo gratioſiſſimo. Sereniſſime princeps et illuſtriſſime Domine. Humillima Recommendatione ac orationibus in chriſto deuotis ſemper premiſſis literas celſitudinis veſtre cum omni deuocione et reuerencia alacriter recepimus* &c.

Subſcriptum: